



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 57. Ludovicum cometa terret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

ægotantem habuit; qui vero videns ^{Sæculum IX.}
 quam blande & honorifice Imperatoris ^{A. C. 837.}
 nomine salutaretur, usque adeo refocil-
 latus est, ut vix ullus doloris sensus re-
 maneret. Itaque Adrevaldum liberalis-
 sime habitum & donis pretiosis cumula-
 tum additis itineris sociis Petro Episco-
 po Centumcellensi, & Georgio Episcopo
 Regionis Romanæ (id est Pontificis Suf-
 fraganeo) remisit. At vero Lotharius
 comperto, quod hi duo Episcopi ad Im-
 peratorem Patrem suum profiscerentur,
 Leonem, virum, cujus magna apud
 Lotharium erat potestas, Bononiam sine
 cunctatione misit. Porro illius commi-
 nationibus perterriti duo Episcopi iter
 suum prosequi non sunt ausi. Adreval-
 dus ut saltem epistola Papæ, ad Impera-
 torem data, salva esset, eam a quoquam
 suorum sub mendici habitu transmisit.

§. LVII.

Ludovicum Cometa terret.

Cum voveretur annus octingentesimus
 trigesimus septimus, & Pascha in
 diem primam Aprilis incidisset, Come-
 ta in signo Virginis conspicuus factus,
 postquam viginti quinque dies suo fulgo-
 re mortales terruisset, in capite Tauri vi-
 deri desit. Ludovicus Imperator ejus-
 modi

Astron.

Sæculum IX, modi Phœnomena observandi studiosus, A. C. 837. antequam cubitum concederet, accersito Astronomo, qui ipsius vitam scripsit, interrogat, quid de hoc Cometa sibi videretur. Respondit Astronomus, si sibi mora concederetur in crastinam, edicturum se, quid sentiret. Intelligens Imperator, quod res erat, eum moram petere, ne sibi triste quidquam aperire cogere, scio, inquit, *me heri sub noctem hoc astrum non vidisse, sed esse Cometam, de quo præteritis proximè diebus nobis sermo erat. Dic mihi, quid eo portendi credat.* Cumque Astronomus aliqua eorum, quæ cogitabat, protulisset, & premeret reliqua, addidit Imperator, *est tamen aliquid, quod dissimulas; ajunt enim, hoc prodigio Regni vicissitudinem, & Principis mortem indicari.* Tum Astronomus *Jerem. 10. 2.* textum Prophetæ adduxit dicentis: *signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes. Iterum Imperator: Christiani nihil timeant, nisi Creatorem suum, qui etiam hoc astrum condidit. Sed clementiam satis mirari non possumus Divini Numinis, ejusmodi signis ignaviam nostram ad pœnitentiam excitantis.* Tum omnibus ad somnum capiendum abire jussis, ipse orando noctem consumpsit, & cum illuxisset, familiaribus vocatis præcipit, ut eleemosynæ largissime, & quantum

tum fieri posset, pauperibus, Monachis & Canonicis præberentur. Missas etiam a Sacerdotibus, quotquot aderant, celebrari petiit, non tam sibi quam Ecclesiæ, cujus tutelam susceperat, timens. Alius Cometa in signo Scorpionis prima Januarii anno sequente millesimo trigesimo octavo apparuit, eumque Pipini Regis mortem, quæ brevi post secuta est, portendisse crediderunt.

Sæculum IX.
A.C. 838.

§. LVIII.

Ludovici Imperatoris obitus.

Ludovici Imperatoris obitum etiam memorabilis illa solis eclipsis præcessit, quam idem Astronomus tanquam mortis ipsius omen cœlitus datum adnotare non prætermisit. Cum Ludovicus Rex Baviaræ ad arma prorupisset, indignatus, quod Imperator Pater novam Provinciarum divisionem suo damno & ad augendam fratrum suorum Lotharii & Caroli potentiam moliretur, re ad Imperatorem delata, Pictaviensi Civitate, ubi hyemaverat, excedens in Quadragesima anni octingentesimi quadragesimi iter cum exercitu ingressus est præter consuetudinem; quippe alias solebat hoc Sacro tempore Psalmos cantare, orare, Missæ interesse, eleemosynas distribuere, & totum

Astron.

Hist. Eccles. Tom. XI.

Z

tum